

Wormbeke, domino H. decano Gerirhartichussen, Io. Stoypen in Smalenborch, H. in Yfelpe, Her. in Lene, C. in Rorbeke, Io. in Ouenerkerken, Ernesto in Grasscaph plebanis, necnon et quampluribus presbiteris et vulgari populo, coram quibus sepedictus prior abbati suo iuravit, reliquie vere esse sancti Annonis, et sic abbas predictus reliquias predictas in suum monasterium collocavit, quibus interfui et vidi et ex mea grossitate compilavi et scripsi. Consulo¹ igitur vobis religiosis viris Grasscaph ad presens existentibus et in futurum advenientibus, ut² reliquias prefatas in honore et reverencia habeatis, et diem translacionis sollempniter celebretis, ne indignacionem vestri fundatoris sancti Annonis incurratis. Gracias igitur agamus domino nostro Ihesu Cristo de omnibus bonis nobis largitis et largiendis, rogantes eundem dominum nostrum, ut per intercessionem sue genitricis gloriose virginis Marie et per merita sancti Annonis sui gloriosi confessoris necnon et omnium suorum sanctorum det nobis tranquillam et quietam vitam finemque bonum, ut cum sanctis et iustis vitam capiamus sempiternam prestante³ eodem domino nostro, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum Amen. Scriptum anno Domini M^oCCC^oLXXX primo.

1) Darüber corr. 'Suadeo'. 2) Von späterer Hand ergänzt. 3) Ms. 'prastante' (!)
